

IOANNIS CRATONIS

ingenio & eruditione præstantissimi, summi mei, fides & diligentia nobis non defuit, tamen nescio quomodo inciderunt hæc in manus corruptrices. Ego quidem totum Opus, denuò adhibitis manuscriptis optima fide à clarissimis viris & eximiis Medicis, Ioanne Sprembergio, Georgio Laurea, Hieronymo Haunoldo, exemplaribus, & meis, quorum quatuor volumina, de quibus antea gratè rationem reddidi, apud me extant, singulari studio & diligentia emendavi, quæq; deesse videbantur, adiunxi: quæ depravate accesserant, sustuli, atque in eum ordinem redegi, qui lectioni & memoria lumen afferre posse videatur. Quia verò triplex quasi genus est consiliorum: partim enim sunt præscripta atque data, partim in Consultationibus (quæ vulgò Collegia appellantur) dicta, partim in curationibus ab ijs, qui Montanum, ut præceptorem, ad agros sequerentur, observata: singulis ferè annum & mensem, quo vel data sunt, vel quibus Doctoribus præsentibus, quòve in loco dicta, aut observata, adieci. Atque hunc laborem ideo sumpsit, ut non solum os illis obstruerem, qui dicturi fortè sunt, me non de scriptis ista collegisse, sed de editis descripsisse: verumetiam ut viam quasi præcluderem impudenti audaciæ quidvis confingendi, & pro Montanicis imperitis obrudendi. De datis autem consiliis verissimè possum affirmare, me fide optima ea cum studiosis communicare, ita ut ne verbulum quidem sit à me immutatum, nisi illud Præstantissimo viro, de rebus magis quàm verbis sollicito, inconsideratè, ut sunt humana, excidisse arbitrarer. Conversa de Italicis non tam mea quàm aliorum huius linguæ peritorum opera, ita ut accepimus, nullum interponentes nostrum iudicium, damus. Ut verò ea quæ in Consultationibus seu Collegiis, ut appellant, dicta sunt, emendatissima ederent: perspexerunt conatum & studium meum eximij artis Medicæ Doctores, Ioachimus, Ioachimi F. Camerarius, & Paulus Boreccius, quorum opera in conferendo & describendo usus sum: qui fidei, diligentia, atque laboris mei ἀξιόπιστοι testes esse possunt. In illis verò, quæ quisque observavit, cum vel in Nosocomiis, vel privatis adibus egrotantes præceptorem sequutus inuiseret, ut ad verbum Montanica dicta recenserem, præstare non potui. Nam alius quidem aliud annotavit. Plurimi etiam, in quibus & meum nomen profiteor, observata deinceps sibi, nullo studio proferendi ea in publicum, reminiscetes perscripsere, nec subito in chartas vel pugillares coniecta exceperunt. Nam ego quidem publicè ita pauca scripsi, ut etiam ijs, qui singulas voculas captabant, eaq; tanquam in Eleusiniis dicta continebant, doctrinæ Præceptoris minus studiosus viderer. Verùm quid de nobis quisque sentiat, ut scire difficile est, ita ut bene sentiat, illi magis, si bonus perhiberi velit, quàm nobis, præstandum. De his quidem elaborationibus, & de lectionum editione perspicient, hoc considerare volentes, me non prorsus negligentem atque oscitantem auditorem Montani fuisse. Ut autem ad institutum redeam, si quis meliora in usu atque tractatione artis à Montano observata proferet, huius ego gloriæ non solum minimè sum inuisurus, verumetiam pro mea parte grata commemoratione laudes amplificaturus. Quæ nos damus, ea Hieronymi Schreiberi piè vita functi, Georgij Laurea, atque nostra etiam ἱερομνήματα nobis suppeditarunt. Hæc autem aliam orationis formam induere, & quasi corollariis additis exponi posse non ignoro: & nuper cuiusdam ridiculum artificium conspexi, qui de magnis consultationibus excerptas particulas ediderat, & latebram obscuritatis adhibuerat, diuersis etiam morbis eadem consilia accommodauerat, ut ostentationis suæ copias augetet. Hoc quidem

quidem